

justitiam, adeoque non tenentur onere restitutionis, sed peccant contra præceptum Ecclesiæ.

11. Ad tituli tractationem explendam, esset insuper evolvenda quæstio de jure clerici disponendi in causa mortis de peculio ecclesiastico. At hanc quæstionem enodabimus in titulo sequenti. Interim adnotasse juvat quasdam dispositiones juris in hoc titulo expressas. Ex *c. ult. h. t.* inferunt DD. meliorationes etiam notabiles peractas per beneficiatum in prædiis Ecclesiæ esse proprias ipsius beneficiati ita ut iis utatur et fruatur in vita sua tantum, eoque vita functo, in Ecclesiæ seu beneficii proprietatem penitus converti.

In *c. 3. h. t.* traditur principium quod nempe quidquid clericus acquisivit post ordinationem, si est presbyter, et post consecrationem, si est Episcopus, cedit jure successorio Ecclesiæ propriæ, cui fuerat intitulatus vel quam regebat. Præsumitur enim id fuisse acquisitum ex bonis ejusdem Ecclesiæ superfluis.

#### TITULUS XXVI.

#### De testamentis et ultimis voluntatibus.

1. In *l. 1. ff. Qui testam. facere possunt.* Modestinus definit testamentum: 'Voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit'.

*Voluntatis nostræ* ad exprimendam personalitatem actus, et necessitatem libertatis in ultimis voluntatibus. *Sententia* scilicet ultima. Nam de natura testamenti est ut possit mutari, et revocari. *Justa*, quæ qualitas non tam virtutem justitiæ moralis respicit, quam formam legum. Hinc sententia justa idem exprimit ac voluntas manifestata juxta legum dispositiones. *De eo quod etc.* quia testamentum incipit vim habere post mortem testatoris, et enim ante mortem potest testator voluntatem suam mutare.

2. Quærunto doctores ex quo jure procedat testamenti condendi facultas.

Variæ proponuntur sententiæ. Nonnulli enim ex jure naturali testandi facultatem deducunt quamvis jus constituendi formam, et solemnitates testamenti auctoritati civili tribuant. Alii autem dicunt ipsum jus condendi testamentum procedere ex legibus humanis, ita ut in statu mere naturali facultas non existeret testandi. Alii tandem juris gentium esse testamentum docent. Certum est,

in facto testamenta et ultima elogia in usum fuisse apud diversas gentes longe ante conditas leges romanas. Hinc a veritate aberraret qui arbitraretur testamenti factionem esse opus juris civilis Romanorum. Juridice vero re spectata primam sententiam veritati magis consonam esse arbitramur.

3. Quare dicimus validis rationibus probari posse testamenti factionem a jure naturali repetendam esse. Et primo quidem testamentaria dispositio maxime congruit cum jure naturæ. Nam quicumque acquirit, sibi, suisque acquirere videtur. Hinc juri naturæ consonum videtur esse ut ex persona actualis domini designetur successor in dominio, et possessione rerum quas labore et industria ipse dominus fecit suas. Idipsum confirmat naturalis affectus, quo trahitur homo ad disponendum de rebus suis in ultimo elogio. At non solum intentio juris naturalis suadet, sed ipsum jus naturale secumfert testandi potestatem. Et sane supponimus demonstratum esse in philosophia morali dominium singularis proprietatis pertinere ad ipsum jus naturæ, ac proinde facultatem disponendi de rebus propriis a lege naturali procedere. Quibus positis, testamentum considerari potest, et est vera alienatio rerum suarum facta per actum ultimum voluntatis. Dominus nempe qui voluntate sua disponit de rebus propriis, alienat easdem ultimo voluntatis actu. Nemo autem negare potest ultimum actum voluntatis esse voluntatem domini ac proinde esse sufficientem ad exercendam dominicam potestatem.

4. At dicent adversarii valorem testamenti incipere a morte testatoris et voluntatem testatoris vires suas exercere quando amplius voluntas non est. Voluntatis enim est actus personæ quæ morte solvitur.

Verum hæc difficultas evanescit. Nam ex parte alienantis ut valeat alienatio non requiritur continuata voluntas post actum alienationis, sed solummodo requiritur voluntas quæ necessaria est ad complendum actum alienationis. Hinc in alienatione rite facta alienans omne jus amittit relate ad rem alienatam: et quodammodo dici potest mortuus relate ad rem ipsam. Non enim amplius sua est, sed aliena. Quare cum per testamentum alienatio compleatur in morte testatoris, sufficit ultimus actus voluntatis, nec requiritur continuatio voluntatis posthumæ. Incipit autem testamentum vires suas exercere post mortem testatoris, quia mors est quæ determinat ultimum actum voluntatis.



5. At objici potest in alienationibus requiri acceptationem acquirentis, quæ veluti uno contextu jungatur cum voluntate alienantis ut producat translatio domini. Resp. Necessitas acceptationis unico contextu faciendæ inducta est a legibus civilibus. Jure enim naturali ex parte alienantis sufficit voluntas determinata alienandi. Per hanc enim voluntatem renunciavit juri suo, et rem cessit alteri. Quod si hic alter non acceptaverit alienationem, actus erit incompletus non ex defectu alienantis qui fecit, quæ potuit, sed solum ex parte acquirentis. Ergo acceptatio quæ fiat post mortem testatoris non attingit dispositionem testamentariam in se, quæ ex parte testatoris fuit completa, et a jure domini procedens. Concludi ergo potest testamenti factionem ex jure naturæ repetendam esse.

6. At auctoritas civilis solemnitates testamentorum præfinire potest, quæ pertineant ad valorem actus. Namque jus humanum ob publicam utilitatem, et ad præcavendas fraudes potest moderari, et regere modos translationis domini, quamvis ipsum jus domini naturale sit.

7. Quibus positis quæritur utrum testamentum quod jure civili ob defectum solemnitatum nullum est in foro externo, etiam sit nullum in foro interno. Notandum est 1º. quod de integro testamento dicitur, ob paritatem rationis dicendum est etiam de aliqua dispositione ultimæ voluntatis quæ vel in testamento contineatur vel aliunde constet, ex. gr. de legato. 2º. Notandum est nos loqui de testamentis ad causas civiles et profanas; nam de testamentis ad causas pias inferius specialiter sermo erit.

8. Profecto si defectus alicujus solemnitatis suspicionem probabilem inducat de non plene deliberata, et irrevocabili voluntate testatoris, certe nulla erit obligatio hæredum legitimorum servandi testamentum civiliter nullum; nam incertum est utrum testator defunctus fuerit necne cum illa voluntate quæ in testamento exprimitur. Immo defectus solemnitatis, si procedit ex facto ipsius testatoris, constituit optimam præsumptionem ad concludendum testatorem non perseverasse in eadem voluntate usque ad mortem. Etenim quisque prudens homo præsumitur velle negotium magni momenti peragere juxta normas civiles substantiales quæ negotium illud tutum reddant coram lege. Quare nisi aliunde certa voluntas defuncti probetur, præsumptio semper est contra valorem testamenti.

9. At quid dicendum si certo constet de ultima voluntate defuncti? Ex. gr. si defunctus voluit conficere et revera confecit testamentum, sed notarius, vel alius qui scripsit testamentum, in scio testatore, causam posuit nullitatis; aut si homo moriturus hæredis sui legitimi fidei commisit aliquid perficiendum post mortem suam? In defectu obligationis civilis subingreditur obligatio legis naturalis? Aliis verbis quæritur utrum plene, et certissime cognita voluntas defuncti servanda sit quamvis juris civilis, et auctoritatis publicæ protectione non fulciatur.

Aliqui tuentur, voluntatem testatoris cognitam servandam esse, licet leges civiles ob defectum solemnitatum eidem non assistant. Nam ajunt easdem leges non declarasse nullum testamentum absque solemnitatibus, sed solummodo eidem denegasse actionem civilem ad observantiam exigendam. Pariter ideo solemnitates inductæ fuerunt a jure civili, quia poterant præsumi fraudes *l. fin. c. De fideicom.* Atqui ubi est veritas, præsumptionis ratio cessat. Ergo si de voluntate testatoris certo constet, parum, aut nihil attendendum est ad solemnitates.

Secunda sententia docet solemnitates considerari ceu formam substantialem actus, ita ut una ex illis solemnitatibus deficiente, testamentum omni prorsus valore careat tum in externo tum in interno foro; ac proinde voluntas testatoris consideratur ceu insufficientis et inefficax.

10. Prior sententia videtur magis consona veritati. Nam si jus testandi ex lege naturali procedit, leges civiles poterunt utique illud moderari quoad valorem juridicum in foro proprio idest in externo, non autem præsumitur infirmare velle virtutem dispositionis naturalis, et destruere obligationem conscientiæ. Ex. gr. jus civile inter varias conventiones solummodo quasdam species probavit, quas contractus appellavit, eisque dedit actionem: at non inde sequitur in conscientia non obligare conventiones illas quæ a jure non probantur et privantur actione legis civilis. Idem de testamentis dici potest. Hinc in *l. 10. C. de test.* traditur hæredem teneri ad implenda legata, quæ jam solvit ex minus solemnitate testatoris. Idem statuitur in *l. 2. C. de fideicom.* Ratio est quia jus agnoscit obligationem naturalem cui qui satisfecit non potest retractare quod fecit.

11. Ex quibus omnibus sequens canon statuitur: cum testamenti forma a jure civili determinetur, etiam in foro interno nul-



lum esse præsumitur testamentum, quod nullum est in foro civili. Hinc quoniam obligatio naturalis non præsumitur sed probanda est, hæres legitimus non tenetur observare voluntatem minus solemnem testatoris nisi de ea certe prorsus constet, et licite petere et assequi potest ex iudicis sententia rescissionem tabularum testamenti contra hæredem testamentarium, quoties de voluntate testatoris dubium rationabile existat.

12. Quod si vero hæres legitimus scienter acceptaverit voluntatem minus solemnem testatoris ex. gr. solvendo legata, vel restituendo fideicommissum, non potest soluta, et restituta repetere. *Reg. 11. juris in 6<sup>o</sup>*. 'Quod semel placuit amplius displicere non potest'. Et in specie nostra rei testamentariæ claram habemus dispositionem in *cit. l. 10. C. De test.* ubi hæc habentur: 'Etsi voluntas defuncti circa legata, et fideicommissa subnixæ non sit, tamen si hæres sua sponte agnoverit implendi eam necessitatem habet.' Similis dispositio reperitur in *l. 2. C. De fideicom.*

13. Præterea animadvertimus, quæstionem de origine facultatis testandi a jure naturali vel a jure civili vere definitam dici non posse: nam pro utraque opinione militant doctores magnæ notæ, et rationes quæ adducuntur ad defendendam originem prædictæ facultatis a lege humana tantum, non sunt undequaque despiciendæ. Hinc juxta regulas practicas scientiæ moralis non renuimus admittere principium reflexum traditum a clariss. Prof. De Angelis *h. t. n. 2. juxta finem*: idest potest hæres institutus in testamento etiam minus solemnem petere hæreditatem, eamque retinere usquedum non repellatur per sententiam iudicis: hæres autem ab intestato idest legitimus potest contra tabulas testamenti petere hæreditatem, et eam assequi per sententiam iudicis. Unde eo quod quæstio juris resoluta dici non potest, in praxi prævalet sententia iudicis.

14. De forma testamenti a jure canonico constituta. Legislatio canonica specialem formam in testamentis condendis induxit, et reperitur tradita ab Alexandro III. in *c. IX. h. t.* In Diœcesi Ostiensi consuetudo invaluerat ut testamenta prorsus rescinderentur, nisi facta fuissent cum subscriptione septem, vel quinque testium secundum quod leges Romanæ disponunt. Relata re ad Alex. III. Pontifex reprobavit consuetudinem tamquam contrariam divinæ legi, sanctorum patrum institutis, et praxi ecclesiasticæ. Simulque decrevit valere prorsus testamentum quod parochiani fecerint coram presbytero suo, et tribus, vel duobus aliis personis idoneis.

15. Ex hoc capite inferunt DD. novam formam testamenti a jure canonico inductam esse, quæ ex primis verbis *cit. c. 10.* dicitur *juxta cap. Cum esses*. Profecto ex specie proposita Alexandro satis apparet caput hujusmodi dispositionem exhibere circa testamenta etiam ad causas profanas seu civiles; præsertim cum de testamentis ad pias causas idem Alex. agat in *c. XI. eod. tit.* Quo posito irrationalis videtur dispositio Pontificis, qui solemnitates, a jure civili inductas ad fraudes præcavendas reprobat et suam formam vult observari sub interminatione anathematis.

16. Certe non ii sumus qui cum Fagnano dicamus, Pontificem abrogasse absolute solemnitates juris civilis, easque declarasse contrarias legi divinæ, doctrinæ Patrum et ecclesiasticæ consuetudini: sed explicatio capituli hæc est: Alexander legem tulit pro diœcesi Ostiensi, quæ erat in ditione temporali Romani Pontificis: quare uti legislator civilis noluit recipere seu noluit observari solemnitates civiles: sed voluit potius ut præferretur principium expressum in sacris scripturis, et a Patribus et ab Ecclesia adoptatum, quod nempe 'in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum'. Hinc formam testamenti expressam invenit. Ideo autem consuetudinem illam diœcesis Ostiensis reprobavit Alexander, quia per eam cultus superstitiosus quodammodo præstabatur legibus romanis, quæ magno studio in scholis addiscebantur, et ita in praxi servabantur ut quidquid in illis contineretur uti rationale et bonum retineretur, quidquid vero esset ab illis alienum respueretur tamquam irrationale. Quæ falsa opinio, uti apparet, adversabatur principio doctrinæ evangelicæ 'In ore etc.' Hinc nil mirum si Alexander etiam pœnam excommunicationis infligerit contra eos, qui suæ dispositioni resisterent.

17. At hæc explicatio capituli admitti non posse videtur si caput consideretur prout est relatam in corpore juris, seu inter leges quæ universam Ecclesiam respiciunt. Certe si Greg. IX. jussisset dispositionem *cap. X.* observandam prorsus esse in alienis ditionibus, et regnis christianorum, et quidem quocumque in tempore et quibuscumque circumstantiis, facile non posset excusari ab imputatione eidem objecta quod nempe occupavisset alienam provinciam. At ipsa insertio capituli in corpore juris hoc tantum secumfert 1<sup>o</sup>. ut omnes prorsus fideles tangat in ea parte in qua Romanus Pontifex uti magister reprobat superstitiosam prælationem juris romani principiis sacrae scripturæ; 2<sup>o</sup>. ut quoad



dispositionem ipsam, caput per se eousque sese extendat, quousque Romanus Pontifex in materia civili leges ferre potest. Quare directe, et immediate dispositio *cap. X.*, etiam prout jacet in corpore juris, vim legis habuit in sola ditione temporali S. Sedis. Ita hoc *cap. X.* explicatur a pluribus optimæ notæ doctoribus: ita etiam a Bened. XIV. in *Inst. 105.*

18. Dixi directe, et immediate dispositionem *cap. X. h. t.* juridicum vigorem obtinere in ditione temporali S. Sedis. Nam eo ipso quod caput insertum est in corpore juris, oblique potuit vim legis obtinere etiam in aliis regnis christianis, non quia Greg. IX. partes legislatoris civilis agere voluerit et novam legem civilem imponere, sed quia in illis regionibus recipiebatur jus canonicum plene, et observabatur vi juris publici mediæ ætatis. Igitur Greg. IX. proprie et directe jus canonicum condidit fundatum in regula evangelica. At in statibus Europæ generatim temporibus Greg. IX. ex legibus organicis regnorum Ecclesiæ decreta, et jura suam partem, et locum sibi vindicabant in negotio publicæ administrationis et regiminis societatis, quia quidquid ab Ecclesia, et præsertim a Romano Pontifice decernebatur, recipiebatur ceu sapientissimum, et maxime conducens etiam ad bonum civile obtinendum. Ecclesia directe, et proprie per suas leges moderabatur conscientiam religiosam fidelium, auctoritas autem civilis gloriabatur tutelam agere Ecclesiæ, concordiam cum ipsa servare, simulque cupiebat publicam populi actionem conformari cum religiosa civium conscientia quæ Ecclesiæ gubernio suberat et regebatur. Hinc plura videmus ab Ecclesia constituta fuisse in republica Christiana ad fidelium mores religione, et justitia informandos quæ bonum publicum etiam civile respiciebant. Hujus generis sunt quæ de treuga et pace, de nundinis servanda constituit Ecclesia. Hinc dici potest, habita ratione ad temporum conditionem, Gregorium IX. normam proposuisse in testamentis conficiendis quæ etiam generaliter servari posset, et de facto in aliis ditionibus temporalibus servaretur, non quia civile jus erat impositum regnis sæcularibus a Romano Pontifice, sed quia erat jus canonicum servandum ceu maxime conveniens cum principiis S. Scripturæ, et institutis SS. Patrum ac proinde ceu consonum maxime veritati et justitiæ. Hoc ergo fecit Pontifex quin suæ potestatis limites excesserit.

19. Porro nostris temporibus dispositio capitis '*Cum esses*' tota restringebatur ad ditionem temporalem S. Sedis, pro qua spe-

cialis est dispositio in codice civili ejusdem ditionis edito a Gregorio XVI. *ann. 1834.* in § 36. In hoc paragrapho decernitur valere testamenta juxta *cap. 'Cum esses'* quæ fiant vel in xenodochiis vel in locis quæ ultra tria milliaria distant a residentia publici alicujus notarii. Decernitur insuper in hisce testamentis servandas esse normas statutas a Bened. XIV. in *cit. Inst. 105.* Præcipua vero dispositio hujus Pontificis est ut intra octo dies post obsignatum testamentum parochus, aut sacerdos una cum testibus publicum notarium conveniant, eique vel tradant, si scripta fuerit, vel nisi fuerit scripta, verbotenus exponant dispositionem testatoris, quam notarius in acta referat. Quæ solemnitas dicitur insinuatio testamenti in acta publica.

In eadem Inst. plures proponuntur, et dissolvuntur quæstiones hac in re maxime utiles, tum quoad personam presbyteri sui, qui dicitur esse vel parochus, vel confessarius ordinarius ægroti, vel, hisce absentibus, etiam potest esse capellanus, aut confessarius extraordinarius, adhibito tamen tertio teste: tum quoad testes qui debent esse idonei juxta regulas juris civilis. Ideoque excluduntur mulieres, ipse hæres etc. Conferri potest hæc *Inst. 105.*

20. Ut materiam de solemnitatibus compleamus, agendum est de testamento ad causas pias. Nomine causæ piæ veniunt non solum Ecclesiæ, sed etiam monasteria, hospitalia, confraternitates et pauperum sustentatio. Quæ enim pro hisce causis relinquit testator, pro salute spirituali animæ suæ relinquit.

21. De hoc testamento pertractat *cap. Relatum 11. h. t.* in quo sermo est de relictis Ecclesiæ. In diocesi Veliterna consuetudo invaluerat, ut cum agitaretur causa de relictis Ecclesiæ, iudices testamenta non reciperent nisi septem, aut quinque idonei testes intervenissent. Alexander III. mandavit causam de relictis piis decidendam non esse juxta leges civiles, sed juxta decretorum statuta, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Ex hoc capite inferunt Doctores, testamentum ad causas pias esse privilegiatum, ita ut non requirat solemnitates juris civilis sed solummodo tres, aut duos testes. Immo cum ex dispositione capitis non attendatur in hoc testamento solemnitas juris civilis, et cum tres, aut duo testes constituent proprie probationem naturalem facti; hinc doctores inferunt tres, aut duos testes in hoc testamento non esse de substantia, sed solummodo necessarios esse ad probationem, quando dispositio ultimæ voluntatis probanda sit per testes.



Quare tum a DD., tum in praxi recepta est regula: nempe servandam esse dispositionem testatoris ad causas pias quoties 1<sup>o</sup>. testator habeat facultatem testandi, idest plenam potestatem disponendi de rebus suis; 2<sup>o</sup>. habeat expeditum usum rationis; 3<sup>o</sup>. de voluntate testatoris ultima certitudine naturali constiterit sive per testes, sive per scriptum, sive alio modo. Dixi de voluntate ultima, nam 1<sup>o</sup>. non teneretur hæres legitimus ad aliquid præstandum ad causas pias, si constaret solummodo de defuncti proposito, seu de consilio vel desiderio condendi testamentum, aut relinquendi aliquid causæ piæ; sed constare debet de voluntate absoluta et positiva. 2<sup>o</sup>. Non existeret obligatio hæredis legitimi nisi constaret defunctum non mutasse voluntatem suam sed cum ea voluntate ex hac vita migrasse.

22. Porro privilegium hujusmodi valere debet non solum in foro interno, sed etiam in externo, et quidem non solum in foro Ecclesiæ sed etiam in civili. Nam agitur de bonis relictis Ecclesiæ in remedium conscientiæ vel saltem intuitu salutis æternæ, quæ proinde bona ad Ecclesiam pertinent, et reguntur jure canonum et non legibus civilibus *arg. c. 7. et 10. De Const.* Quare Ecclesia jure suo usa est cum declaravit se acceptare voluntatem piam testatoris naturaliter cognitam. Et merito id declaravit: agitur enim de spirituali dispositione.

23. Hoc privilegium principaliter respicit testamentum ad causas pias, in quo hæres est causa pia; nam hæredis institutio dat formam essentialem testamento. Respicit vero hoc privilegium etiam quæcumque legata ad causas pias in aliis testamentis relicta: nam in *cap. XI.* in genere sermo est de relictis Ecclesiæ. Et in genere privilegium hujusmodi sese refert ad omnes dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias. Ex hac doctrina duplex consecarium deducitur. 1<sup>o</sup>. Cum testamentum ad causas pias etiam solemnitatibus mere civilibus destitutum sustineatur, sustinentur etiam legata quæ in eo sive ad pias, sive ad causas profanas relinquuntur. Accessorium enim sequitur principale. 2<sup>o</sup>. Resciso testamento ad causas civiles et profanas ob defectum solemnitatum mere civilium, valent adhuc legata ad causas pias, si de ipsis naturaliter constet.

24. Quæritur quid sentiendum de testamentis ad causas pias hodierno jure?

In *Codice Greg. XVI.* (1834) § 37. agnoscitur, et servandum dicitur testamentum ad causas pias juxta tenorem *Cap. Relatum.* Sic in aliis etiam regnis catholicis servabatur in foro civili hujusmodi testamentum. Verumtamen sublato jure communi, et inducto peculiari codice pro unoquoque regno, factum est, ut in novis legislationibus non recognosceretur forma testamenti juxta *cit. cap.* Attamen factum hujusmodi civilis auctoritatis legitimum dici non potest. Nam testamentum, de quo est sermo, fuerat statutum in jure communi Ecclesiæ, quæ in ejus forma, et valore decernendo jure suo usa fuerat. Etenim per id nihil aliud fecit Ecclesia quam acceptare fidelium voluntatem naturaliter probatam in materia spirituali, idest in dispositione ultimæ voluntatis facta pro salute, et remedio animæ; bona autem, quæ sub tali dispositione comprehenduntur pertinent ad Ecclesiam ac proinde circa hæc bona juxta sensum *c. X. De Constit.* merito in *c. XI. h. t.* disposuit Ecclesia. Quapropter abrogatio *cap. XI. h. t.* fieri debebat non a sola civili auctoritate sed simul etiam ab auctoritate Ecclesiæ ut juridica evaderet. Atqui Ecclesia non probavit factum civilium legislationum circa eam abrogationem. Ergo adhuc viget dispositio *cit. capit.*

25. Nec dici potest silentium Ecclesiæ in casu habendum esse loco tacitæ renunciationis: nam ut valeat principium 'Qui tacet consentire videtur' requiritur 1<sup>o</sup>. ut qui tacet cognoscat id, quod contra se agitur; 2<sup>o</sup>. ut in ea conditione sit, in qua teneatur loqui; 3<sup>o</sup>. ut possit efficaciter loqui. Atqui hæc tertia conditio procul dubio non verificatur in nostro casu. Ergo silentium Ecclesiæ non legitimat factum civilis auctoritatis; hinc stricto jure testamentum juxta *cap. Relatum* inter fideles adhuc vigere dicendum est, quamvis in praxi mediis judicialibus non possit in foro civili amplius urgeri ejusdem observantia.

26. Ecclesia autem in facto adhuc perseverat in vindicando sibi jure circa dispositiones ultimæ voluntatis ad causas pias, licet destitutæ sint solemnitates in legibus civilibus. Et quidem Sacra Pœnitentiaria in casibus occultis, Sacra vero Congregatio Concilii in casibus publicis de hac materia pertractant ut imminuant, vel moderentur terminos et extensionem obligationum a testatoribus impositas in ordine ad causas pias.

27. Alia sunt testamenta privilegiata quemadmodum testamenta inter liberos, testamenta rusticorum, militum, et testamenta



tempore pestis confecta, de quibus dispositio est tota civilis, ac proinde de hisce non loquimur.

28. Quæritur quinam jure nostro testamentum condere possint.

Eadem dispositio valet quæ in jure civili datur *l. 1. c. De Sacr. Eccl. et l. 43. ff. De vulg. et pupill. substit.* ut nempe quilibet testari possit, qui bona sua possidet nec a legibus prohibetur. Prohibentur vero in criminis pœna 1º. Usurarii manifesti *c. 2. De usuris in 6º*. Prohibitio autem eos urget quoadusque non satisfecerint, vel non caverint sufficienter de satisfactione ipsorum. 2º. Ex *c. 13. § Credentes. De hæreticis* prohibentur testamentum condere hæretici non tolerati, et eorum fautores, defensores, et receptores. 3º. Persecutores, aut percussores S. R. E. Cardinalium vel qui cooperantur in eorum captura, vel percussione *cap. 5. De pœnis in 6º*.

29. Hæc vero prohibitiones ex jure canonico hodie ob relationes immutatas inter Ecclesiam et statum eo reducuntur ut nempe Ecclesia ab hisce publicis peccatoribus, nisi pœnitentiam egerint, vel dederint signa indubia resipiscentiæ, donationes, et pia relicta non acceptet, præsertim ab usurariis manifestis, ne videatur frui bonis pauperum, et communicare cum alienis peccatis. Ceterum quoad præfatas personas validitas vel invaliditas testamenti ipsius in praxi hodierna juri civili in regnis etiam catholicis determinanda relinquitur.

30. Regulæ generalis propositæ exceptio verificatur tum quoad clericos tum quoad viros religiosos. Clerici sæculares possunt utique testamentum facere, vel donationes mortis causa de triplici peculio patrimoniali, industriali, et parsimoniali *c. 12. h. t.* Verum eadem regula peculio beneficii superfluo jure communi inspecto aptari nequit. *Cap. ult. De peculio clericor. et capp. 1., 9. et 12. h. t.*

Ex quibus locis infertur clericum prohiberi absolute quominus de bonis ad hujusmodi peculium pertinentibus in ultimo voluntatis elogio disponat. Sane in *cit. cap. 9.* expresse decernitur: 'De his quæ consideratione Ecclesiæ (clerici) perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum'. Unde rigore juris clerici neque ad causas pias testari possunt de peculio ecclesiastico superfluo.

31. Bona hujus peculii relicta a clerico defuncto juxta decretales constituunt spoliū clericī, et ex dispositione Conc. Lateranensis III. *in c. 7. h. t.* pertinebant ad Ecclesiam, cujus clericus

defunctus rector fuerat, vel in qua beneficium possidebat. Verba capituli hæc sunt: 'Quidam clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur quia antiquis canonibus constat inhiberitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere'. Quapropter si forte clericus duabus Ecclesiis fuisset addictus spoliū inter utramque pro rata dividendum erat. *Cap. 12. h. t. circa finem.*

32. Verum, teste Tomassinio *Vet. et Nov. Ecclesiæ disc. P. III. l. 3. c. 57. tit. De spoliis clericor.* Romani Pontifices angustiis œconomicis coacti post finem sæc. XIV. spolia clericorum Cameræ Apostolicæ reservare cœperunt. Enatis autem dubiis circa hanc reservationem Paulus III. in *Const. Romani Pontificis*, data *Non. Januar. 1542* decrevit, bona clericorum, qui testari non possunt, aut testantur plus quam debent, uno verbo spoliū clericorum spectare ad Cameram Apostolicam monuitque præsidentes, ut ea bona colligerent. Præterea ad spoliū Clericorum pertinent etiam bona quæ clerici testari non possunt, et eadem reservata fuere Cameræ Apostolicæ in *Const. Pii IV. Decens esse*, data *Non. Nov. 1560.* quæ renovata et confirmata fuit a Benedicto XIV. in *Const. Apostolicæ Servitutis, diei 25. Martii 1741.*

33. Pariter sub appellatione spoliū a Sixto V. *in Const. In Conferendis*, data *decimo Kal. Febr. 1590* reservantur Cameræ Apostolicæ bona regularium morientium extra claustra, vel apostatarum ab ordine, necnon fructus beneficiorum affectorum, seu reservatorum S. Sedi a die vacationis usque ad diem provisionis. Et quidem quoad bona regularium jam præverat *Const. Gregorii XIII. Officiū Nostri, diei 21. Jan. 1577*, in qua Summus Pontifex decernit spolia claustralium extra claustra vagantium sine licentia suorum superiorum ad Cameram Apostolicam spectare.

34. Porro hæc omnia bona quæ constituunt spoliū clericorum a Pio VII. s. mem. avulsa fuerunt a Camera Apostolica, et attributa S. Congregationi de Propaganda fide, ut in Sanctarum Missionum subsidium erogarentur. Unde in præfata Congregatione extat specialis administratio quæ camera spoliū dicitur, quæ in diœcesibus in quibus viget lex spoliū constituere solet viros ecclesiasticos qui curam habent colligendi bona ad spoliū cleri-